

Ann. III.

Num. II.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;  
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 1/2.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis  
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorum et administratorem  
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

## Subnotatio fieri potest:

IN ITALIA	IN ANGLIA	IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENT.	IN CANADA ET NEWFOUNDLAND
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.	Apud BURNS AND OATES	Apud COMMISSIONAT OF THE HOLY LAND.	Apud
ROMAE, Via Santa Chiara, 20-21.	LONDON W. - 28, Orchard Street.	NEW YORK, 143 w 95th St.	NEW YORK (U. S. Americ.), 143 w 95th St.
IN BELGICA	IN GALLIA	IN HUNGARIA	
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.	LUGDUNI	LUTETIAE PARISIORUM	Apud
BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.	Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.	LIBRAIRIE VIC ET AMAT CHARLES AMAT SUCC.	C. B. LIPTAY, CORRESP. DE HONGRIE
	Rue Victor Hugo, 5	Rue Cassette, II.	Rue de Metz, 41.
			BUDAPEST, Palais du Théâtre National.

## RERUM INDEX

DE POPULARI CHRISTIANA CIVITATE .. . . . .	I. Toniolo.
ANNUS MDCCCXCIX . . . . .	P. Rossani.
DE ROMANORUM MAGISTRIS . . . . .	I. Iachino.
TESTAMENTUM D. N. IESU CHRISTI CHRISTIANAE RELIGIONIS MONUMENTUM.	H. D. V. Pieralice.
NOCTURNA VIATRIX . . . . .	I. Fedele.
“FAKIRI,” QUI DICUNTUR . . . . .	Hersilus.
HIEMS . . . . .	A. Costaggini.
APERITIO PORTAE SANCTAE A SUMMO PONTIFICE LEONE XIII DIE XXIV MENSIS DECEMBRIS MDCCCXCIX PERACTA . . . . .	F. C.
NUPER EX ELECTRIDE INVENTA . . . . .	M. Lani.
LOLIUS SIVE DE PROVECTA LATINITATE . . . . .	P. Angelini.
VITA FUNCTI VIRI CLARIORES . . . . .	I. F.
COMMUNIA VITAE - De quibusdam cupediariis . . . . .	P. Alexis.
QUAESTIONES INTER SOCIOS PROPOSITAE - V. De nomine telegrapho filio . . . . .	F. Arnori.
experti imponendo . . . . .	Forfex.
QUAESTIONI NUPERRIMAE DE LATINI ELOQUII PRONUNTIATIONE RESPONSUM . . . . .	Poplicola.
ANNALES . . . . .	Scriba.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS . . . . .	I. A. - I. F. - P. A.
LIBRORUM RECENSIO . . . . .	A. E. de Druffel.
AENIGMATA . . . . .	

In tertia operculi pagina:

PER ORBEM . . . . .	Viator.
VARIA: Unde comperiatur in anseribus aetas - loci ex historiis . . . . .	P. d. V.
EPISTOLARUM COMMERCIO . . . . .	A secretis.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCII. A. M. D. C. C. C. M. D. C. C. C.

# PROSPECTUS SUBNOTATIONIS

## Commentarii Vox URBIS anno MCM

Pretium annuae subnotationis est: in Italia Lib. **10**; ubique extra Italianam Lib. **15**; M. **12**; Sch. **12**; Dóll. **3**; Rubl. **6**; Flor. **7  $\frac{1}{2}$**   
recto tramite mittendum  
ad **Aristidem Leonori** equitem, commentarii ipsius possessorem et administratorem

**ROMA - Via Alessandrina, 87**

### PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA

Inter eos omnes, qui die XV mensis Martii MDCCCC inter commentarii socios numerentur, sorti committetur sacro Paschatis Resurrectionis die eiusdem anni

**Theca Aurea Pulveri Nicotiano Asservando**  
qua SS. Dominus PIUS Papa IX f. r. utebatur, prout ex luculento constat in scriptis testimonio

Qui primum nunc nomen dederint, pretiumque subnotationis solverint ut supra, *Vox Urbis* commentarium accipient a Kalendis Ianuariis usque ad expletum annum MDCCCC, iisque donum erit

### URBIS A IANICULO MONTE PROSPECTUS

late magnus (m. 1.10 × 0.24) et visu decorus.

Sociis qui subnotationem renovabunt dono dabitur *ubi primum in promptu erit*

### LIBER (vulgo "Album") PRAECIPUA URBIS REFERENS

pulcritudine insignis atque, commentarii moderatore iubente, expresse conflatus.

Denique illis inter socios, et recentes et veteres, qui tres in Italia, vel binas ubique extra Italianam subnotationes novas comparaverint, earumque annum pretium **recto tramite miserint** ad commentarii administratorem, optio erit unius ex his XXXIII quae sequuntur, quod gratuito pariter habebunt:

I. . . . Aristotelis De arte poetica liber. Rec. GUILELMUS CHRIST.	II. . . . Fabulae Romanenses graece conscriptae ex rec. et cum adn. A. EBERHARD.	III. . . . Homeri Carmina. Ed. GUIL. DINDORF. (Voll. 2).	IV. . . . Metrologicorum scriptorum reliquiae. Ed. FRIDERICUS HULTSCH. (Voll. 2).	V. . . . Patrum Nicaenorum nomina graece, latine, syriace, coptice, arabice, armeniace. Edd. H. GELZER, H. HILGENFELD, O. CUNTZ.	VI. . . . Plutarchi Vitae parallelae. Rec. C. SINTENIS. (Voll. 5).	VII. . . . Strabonis Geographica. Rec. A. MEINEKE. (Voll. 3).
--	--	--	---	--	--	---

VIII. . . Xenophontis. Expeditio Cyri. Rec. A. HUG.	IX. . . Novum Testamentum. Graece ed. PH. BUTTMANN.
Id. Historia Graeca. Rec. O. KELLER.	X. . . Augustini (Sancti Aurelii) De civitate Dei lib. XXII.
Id. Institutio Cyri. Rec. A. HUG.	Iterum rec. B. DOMBART. (Voll. 2).
Id. Commentarii. Rec. W. GILBERT.	XI. . . Caesaris C. Iuli cum A. Hirti aliorumque supplementis: Commentarii de bello Gallico, de bello civili, de bello Alexandrino, de bello Africo, de bello Hispano. - Fragmenta. Rec. B. KÜBLER et Ed. WÖLFFLIN. (Voll. 3).
Id. Scripta minora. Rec. L. DINDORFIUS.	XII. . . Ciceronis M. Tullii Opera rhetorica. Edidit FRIEDRICH. (Voll. 2).

(Sequitur in tertia opereuli pagina).

DE POPULAR

VIGET procul Americanam Catholicorum, quic sunt, non artifici historicis simul et ne quidem consilia, cleare sapientes ne persentiant, ac m

Attamen, cum dammodo ea pos narum et agenda Catholicis suscep

Verbum autem accipitur: altero in netur; strictiore aiores recipiuntur, constituit finis, dines in congrua spectentur, qui pr inde vero ad remp administratio debit committatur, qua dum potissima via

Dubitant vero tunitas advenerit, et opera gerenda quod tamen solve neris historiam, ad mine, considerare

Notum est enim adhaerentem, eo tnam et irrumpon missionem produc imperium, tum in in civium ordinib datim et varia fo dentalem Europam populos revocavit quam medium di aetas » vocaretur.

At nova aetatem et opera huius influxus sae Instauratio vocari quae non fidei tam et civitatem et rem vero tria per sae Germanorum, Angliique saeculo xv quae in universum quam dicunt schola et ordines protinus quea tanto splend pressa breviter ac privilegiis constitutiosi negotiatorum usque, prorumper

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:  
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7½.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:  
ARISTIDES LEONORI, eques.  
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

## DE POPULARI CHRISTIANA CIVITATE

**V**IGET procul dubio et per Europam omnem et Americam movetur factio quaedam vel schola Catholicorum, quam *Christianam democratiam* dicunt, non artificio congregatam vel auctam, sed historicis simul et rationabilibus causis exortam. Huius quidem consilia, quamvis adaequata definitione enucleare sapientes nequeant, populi tamen universi satis persentiantur, ac mente animoque assequuntur.

Attamen, cum necessitas postulet, definire quodammodo ea possumus, ordinem quemdam disciplinarum et agendarum rerum in populi favorem a Catholicis susceptum.

Verbum autem illud « *populus* » dupli sensu accipitur: altero latiore, quo civitas universa continetur; strictiore altero, quo plebs tantum vel humiliores recipiuntur. Iterum doctrinis et actioni duplex constituitur finis, cum hinc humanae societatis ordines in congruam omnibus utilitatem renovandi spectentur, qui proprius et ultimus finis habetur; inde vero ad rempublicam ita instaurandam, ut eius administratio debita proportione cuilibet ex populo committatur, quae ad primum inceptum assequendum potissima via est.

Dubitant vero plures num ea temporum opportunitas advenerit, quae huiusmodi consilia aperienda et opera gerenda suadeat: maximum ferme dubium, quod tamen solvere licebit nemini, qui humani generis historiam, admoto christiana philosophiae lumine, considerare neglexerit.

Notum est enim Ecclesiam Dei, evangelico verbo adhaerentem, eo usque inter Romanae potentiae ruinam et irrumpentes barbariae fluctus traditam sibi missionem produxisse, ut reapse populare quoddam imperium, tum in rerum publicarum gestione, tum in civium ordinibus constituerit. Hoc quidem gradatim et varia forma per medium omnem et occidentalem Europam diffuso, ad novam veluti vitam populos revocavit, cuius effectus maximos aetas, quam medium dicimus, vidiit ita, ut iure « *populi aetas* » vocaretur.

At nova aetate exoriens, nova omnino studia mentes et opera hominum occuparunt, quarum primus influxus saeculo xv praecipue praeoccupans, *Instauratio* vocari solet; deinde luterana haeresis, quae non fidei tantum provinciam pervastavit, sed et civitatem et rempublicam funditus evertit; postremo vero tria per saecula, seditiones tres, saeculo xvi Germanorum, Anglorum saeculo xvii, Gallorum denique saeculo xviii. Verum ex huiusmodi doctrinis quae in universum orbem diffusae sunt, *rationalismi* quam dicunt schola exstitit, quae christianas disciplinas et ordines protinus destruxit. Quibus proinde doctrinis, quae tanto splendore floruerat christiana civitas depresso breviter ac suffocata est, superiorum ordinum privilegiis constitutis, quibus vel patricii, vel pecuniosi negotiatorum ordines instructi evaserunt, quo usque, prorumpente humiliorum ira, populares se-

ditiones ex Gallica prima flagraverunt ubique, quae sententiis, ficto libertatis nomine, respubicae etiam in praesentiarum reguntur.

Quapropter ex *Renaissance* illa funesta, si hoc verbo uti non displicet, dissolvente veluti morbo, hominum societas lente, paulatim, ubique est corrupta, et humiliorum ordines, qui in mediae aetatis civitatis fide, institutionibus, collegiis, traditione, una cum optimatibus ceterisque coniungebantur, sunt tandem ex reliqua hominum communitate discripti, et in novam veluti civitatem constituti, altiori oppositam, quam nunc, assumpto iniuria nomine, *proletariat* appellant, non alter ac si eius miseri cives ad generandam tantum prolem apti, pecudum more, habeantur.

Hac itaque praesentis discriminis origine, his vicibus consideratis, eminet plane utrum hodierna opportunitas iubeat tot ac vetustissimis malis afferri remedium. Et profecto, intellexerunt iam plerique quo religionis et humanitatis studio consilia illustrium Catholicorum et opera hodie tuto gressu moveantur, nec eos ultra ab itinere retardarunt. Quum enim asseritur, ditoribus praecipue incumbere munus inopiae sublevanda, vel quum christiana caritatis causa tristes recoluntur vices, quae reipublicae renuenti forte imminent, non alia sane praedicantur, nisi ea quae ex evangelica doctrina recto tramite profluent. Quod quidem discrimin ut omni nisu vincant, eiusque vitent ruinas, Catholici adamassim viri student, qui populari huic scholae, quae est de civitate in Christo renovanda, frequentiores, non sine fausto auspicio, in dies addicuntur.

JOSEPH TONILO.

## ANNUS MDCCXCIX

**H**AUD puto iam e lectoribus mente, tam parvi temporis effluxu, cessisse exacti nuper anni fausta illa auspicia, quae ex Russorum imperatoris consilio de coetu ad pacem Hagae cogendo, in humana fata iucundissime sumere datum esset. Quamvis enim constitendum novum hoc perpetuae pacis regnum mirabile quoddam facinus videretur, nonnisi Deo aut heroe dignum, tamen ineunte vix anno editum manavit a Mouraview comite, sui Caesaris iussu redactum, quo praecipua continebantur in coetu illo disceptanda, ita ut nihil iam reliquum haberetur, nisi ad rem manus admovere.

Quod quidem, cum obortae primum difficultates, ne mutuum gentium imperium, neve populorum aemulationes laederentur, fuissent superatae, die mensis Maii decima octava in *Domum Silvae*, Hagam prope, nationum legati tuto convernerunt, eorumque sessiones, nec quorundam legatorum inertis animo, nec simulata nonnulla-

lorum inimicitia interposita mora, ad redigendas tandem complurimas novi huius gentium iuris formulas perductae sunt.

At quamvis merito querantur plurimi Summum Ecclesiae Pontificem, verae pacis vindicem, ab huiusmodi comitiis fuisse exclusum, nec assem publicis bellicarum rerum expensis, nec militem unum exercitibus fuisse demptum, iuvat nihilo minus *mora*, quam dicunt, tanti incepit efficaciam recensere satis longe effusam. Quod enim a legatis illis in ius receptum est, ex orientibus nimirum nationum discordiis ad arbitrium esse confugiendum, ut optatam universi pacem aliquando assequamur, in eam procul dubio confert. Immo et ipsum bellum novorum patrum placitis est quodammodo mitigatum, cum eae pactiones, quae in Genevensi comitio de militibus vulneratis vel de navali bello gerendo essent constituta, iam a singulis gentibus acceptae fuerint.



Sed primum forte, idque minime negligendum, Hagani conventus fructum ultimi orientales populi collegisse dicendi sunt, quibus felix profecto fuit hinc Anglorum inde Russorum exercitus ad arma hactenus non venisse. Cum enim, Sinarum imperatore a solio deiecto, eius mater omnia regeret, Russorum optatis eo est consultum, ut a Manciuria finibus ferreum iter Pekinum usque, Sinarum caput, ipsis sternendum concederetur. Inde teterrimus prope erumpens Martis furor apparuit; feliciter tamen pepercérunt potentes armis, ipsique Angli, flexa aliquantulum sua sententia de portibus et civitatibus cuique patentibus derelinquendis, ad ea, quae Bismarckius olim de Africa excogitaverat, accesserunt, ut certis limitibus per imperium illud regiones constituerentur, quas singularum nationum tutela, arma, vexilla, commercia libere pervaderent. At partitione hac non minus prospere cessit, quae inter Angliam et Galliam de Africana terra amice est constituta, vel quae in Pacifico oceano de Samoa insulis peracta est, ubi pariter Latronum quae nuncupantur insulae et Carolinae, nullo adversante, Germanico Caesari venumdari ab Hiberis potuerunt.

Verum extrema anni non ea fuerunt, quae tam secunda auspicia spondebant; nec enim Samoa insularum quieta partitio, nec Gallorum Germanorumque attenuata simultas pretium satis pendunt asperrimi belli, quod ultimam Africam presumdat. — Huius itaque nos manent suprema fata, anni MDCCXCIX tristis molestaque hereditas.

P. ROSSANI.

## DE ROMANORUM MAGISTRIS

AM inter primos Romanorum magistros, quos scriptores (praeter Suetonium, qui romanos tantummodo memorat) memoriae prodiderunt, insignes nonnulli extiterunt. Quamvis fere omnes ex Asia, Graecia, et extrema Italia proficiscerentur, atque plerique vel libertorum filii vel ipsi liberti vel captivi essent, qui, ut Livius Andronicus, pecunia ex disciplinis collecta, sese in libertatem vindicassent, attamen Cratetis exemplum, quod alias retulimus (1), plures Romani secuti sunt, inter quos Caius Octavius Lampadio, Nevii opus, *Belli Punici* titulo, ex uno volumine, in septem a se distributum asserit; item Quintus Vargunteius Ennii annales, Ennius Archaetus, Vetius Philocomus Lucilii satyras, certis diebus, pluribus audientibus legebant ac commentabantur.

Sed ad Suetonium redeundum est: « Instruxerunt auxeruntque ab omni parte grammaticam L. Aelius Lanuvinus, generque Aelii Servius Clodius, uterque eques romanus, multique ac varii et in doctrina et in republica usus ». His Plutarchus, in Catonis censoris vita, Chilonem eiusdem captivum adiungit, eique carissimum, qui tunc complures iuvenes in publica schola edocebat. Addendus Aelius Lanuvinus, qui merito pater latinae grammaticae appellatus est; fuit enim idem atque in schola Alexandrina Aristarchus et Zenodotus.

Is carmina Saliorum ac XII tabulas interpretatus est, et de latina lingua, de Plauti fabulis, de aliquo poetis plura disseruit. Varronis ac Ciceronis magister adeo his, doctisque aliis viris eruditus videbatur, ut ei Lucilius satyras, Coelius Antipater annales dicaverint. Duplex ei cognomen datum, Praeconianus, quod pater eius publicus fuerit praeco, et Stilo, quod orationes cuique nobilissimo, Q. Metello, Q. Caepioni, Q. Pompeio Rufo inscribere soleret.

Eum ita Cicero describit: « Fuit is omnino vir egregius et eques romanus cum primis honestus idemque eruditissimus et graecis litteris et latinis, antiquitatisque nostrae et in inventis rebus et in actis scriptorumque veterum litterate peritus (graeca voce philologus nuncupandus): sed idem Aelius stoicus esse voluit, orator autem nec studuit unquam, nec fuit. Scribebat tamen orationes, quas alii dicebant; ut Q. Metello F., ut Q. Caepioni, ut Q. Pompeio Rufo, quamquam etiam ipse scripsit eas, quibus pro se est usus, sed non sine Aelio. His enim scriptis etiam ipse interfui, quum essem apud Aelium adulescens, eumque audire perstudiose solerem » (2).

De Servio Clodio satis meminisse iuvabit, quod pariter habet Cicero, « Servium Clodium notandis generibus poetarum et consuetudine legendi adeo tritas aures habuisse, ut facile diceret hic versus Plauti est, hic non est » (3). Miserrimam vero nominis sui existimatione notam inuissit; violentas enim manus in se coniecit, teste Suetonio: « Servius, cum librum socii nondum editum fraude intercepisset, et ob repudiatus pudore ac taedio secessisset ab Urbe, in podagrae morbum incidit; cuius impatiens veneno sibi perinxit pedes et enfuit ita, ut parte ea corporis quasi praemortua viveret ».

Iam, 586 anno U. C. disciplinis adsueti, ad eas magis magisque excolendas nitebantur Romani, cum Perseo, Macedoniae rege, devicto, Romamque ad ducto, Graecorum omnium, qui regi faverant, pars necati, pars in iudicium Romam fuerint appellati.

Quum autem inter eos complures eruditis elo-

quentissimi essent, ex quibus insignes Polybius historicus, atque philosophus Panetius, quem Cicero philosophorum stoicorum fere principem appellat (1), horum ope ad artes doctrinamque Romani animos admovere; ex quo fortasse factum est, ut in Graecos mitiori, quam in ceteras alias gentes, imperio utebantur.

Polybio familiariter utebatur, et maxima quidem sui utilitate, adolescens Scipio Africanus maior, qui, teste Cicerone (2), Xenophontis opera assidue perlebat; itemque Laelius Scipionis necessarius, qui Diogenis stoici olim discipulus, tum Panetii scholam adiuit (3), quibuscum certabant studiis equites romani Q. Mutius Scaevola, C. Furius, Q. Tubero.

Una cum grammatica studiis passim etiam rhetoricae et philosophiae disciplinae flouere. Sed viribus unitis fere in eas impetum fecere provecta aetate viri, quod detrimentum ex hac re pertimerent, vel potius quod lenociniis mutatae ac foedatae fuissent. Narrat enim Suidas, Aulum Postumium, nobili ortum genere, vel a pueritia in graeco sermone versatum esse, et de Graecorum gestis poema historiamque graeca lingua eo vaniloquio scripsisse, ut odium in graecas litteras excitaverit.

Proinde cum philosophi graeci plures equites domi, rhetores et eloquentiae magistri plures in schola discipulos haberent, anno 592 U. C. senatus consulto Roma philosophos rethoresque graecos praetor expellere iubebatur.

Hoc sen. con. Suetonius nobis prodit: « C. Fannio Strabone, M. Valerio Messala coss. M. Pomponius praetor senatum consuluit. Quod verba facta sunt de philosophis et rhetoribus, de ea re ita censuerunt, ut M. Pomponius praetor animadverteret curaretque, ut si ei e republica fideque sua videretur, uti Romae ne essent » (4). Quod, ut supra commemoravi, id eo factum est, quia patres conscripti verebantur, ne haec studia damnum ac quasi excidium reipublicae inferrent, iuentusque romana, militibus artibus despctis, iisdem plus aequo vacaret.

Si Patrum severitatem, quibus obedientiam omnes praestare assueverant, inspiciamus, non plane iniquus ille iussus habendus est, ac facile coniiciendum rhetores fortasse in Italiae provincias migrasse. At paulo post inutile hoc fuisse consilium res ipsa demonstravit; amor enim erga illas disciplinas acrior ac vehementior exarsit. Cuius rationem exhibit Cicero, in oratione pro Murena, ex qua mutatas animorum sententias accipimus: « Duae sunt artes quae possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis, una imperatoris, altera oratoris boni; ab hoc enim pacis ornamenta retinentur, ab illo belli pericula repelluntur » (5). Itemque: « huic eloquentiae a maioribus nostris est in toga dignitatis principatus datus » (6).

Nuper maius hisce studiis fuerat additum incrementum. Nam anno 587 mille iuvenes Achaeos in Urbem ductos veluti obsides benigneque habitos senatus in nobilissimas quasque familias distribuit. Insuper anno 598 cum Oropii cives, quam Boeotiae urbem Athenienses expugnatam diruerant, Romanos, ut cladem ulciserentur, flagitassent, hi Sicyoniis commiserunt ut, rebus inspectis, Athenienses pro damnis illatis pecunia multarent. Sicyonii Athenienses quingentis talentis Oropii civibus persolvendis dammarunt.

Athenienses vero, quum sibi iniqua videretur muleta, ad senatum romanum oratores spectatissimos Carneadem Academicae scholae, Diogenem stoicae, Critolaum peripateticae principes miserunt, qui poe-

nae imminutionem impetrarent. Qua legatione suum apud Romanos disciplinarum cultum ac famam iactare videntur voluisse.

Cicero (1), Clitomachi auctoritate, hoc factum fuisse P. Scipione et M. Marcello consulibus asserit, addiditque (2), Laelium atque Scipionem Africanum eo tempore adolescentes fuisse. Plutarchus vero, in Catonis vita, hunc iam senem fuisse affirmat. Quae oimnia anno 598 conveniunt; nimurum hoc anno P. Scipio Nasica et M. Claudius Marcellus consules erant, et Cato iam septuagesimum nonum annum agebat; in libro enim *De senectute*, se sexaginta quinque annos natum ipse asserit, Caepione et Philippo consulibus; hoc est anno 584.

Romam convenerunt philosophi et legationem exposuere, at interdum publice quaestiones agabant; quorum novas argumentationes, argutas dissertationes, exquisitoria verba ac sermonis elegantiam adeo mirati sunt romani iuvenes, ut eos frequentissime adirent, attentissime audirent, laudibusque efficerent.

Singulos expresse depingit Cicero: « Hic nos igitur stoicus iste (Diogenes) nihil adiuvat, quoniam quemadmodum inveniam quid dicam, non docet, atque idem etiam impedit, quod et multa reperit quae neget ullo modo posse dissolvi, et genus sermonis afferit non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum: quod si quis probabit, ita probabit, ut oratori tamen aptum non esse fateatur... Critolaum istum, quem simul cum Diogene venisse commemoras, puto plus huic studio nostro (arti oratoriae) prodesse potuisse... Carneadis vero vis incredibilis illa dicendi, et varietas, per quam esset optanda nobis, qui nullam unquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probabit, nullam oppugnat, quam non everterit » (3).

De Carneade autem Quintilianus: « Neque Carneades ille, qui Romae audiente censorio Catone non minoribus viribus contra iustitiam dicitur disseruisse, quam pridie pro iustitia dixerat, iniustus ipse vir fuit » (4). Ex quo, maximam quam supra diximus Romanorum admirationem, Plutarchi testimonio, in Catonis vita confirmamus.

Hos vero philosophos in scholis non audiebant Romani in quibus grammatici et rhetores edocebant, Qua aetate quibusve auxiliis rhetorica ars floruerit non constat. At si senatus consultum, quod supra commemoravimus, contra grammaticos et rhetores inspectemus, utrosque iamdiu Romae fuisse credendum est, quamvis serius ac difficilius rhetores honoribus affecti sint.

I. IACHINO.

TESTAMENTUM D. N. IESU CHRISTI  
CHRISTIANAE RELIGIONIS MONUMENTUM

RELGIONIS christiana monumentum insigne re pertum nuper est ab illo scrutatore orientalium bibliothecarum, viro clarissimo Ephrem Rahmani, Syrii ritus patriarcha Antiocheno. Qui inter codices Metropolitanos Massoulenses manuscriptum vetustissimum invenit, cui titulus *Testamentum Domini*, atque addebat alterum a *Praeceptis et Mandatis Domini* nuncupatum.

Testamentum Domini multa complectitur, quae tempore, quo exaratum est, ecclesiis erant communia tum quoad ritus, tum quoad dispositionem rerum

(1) *Quaest. Acad.* lib. IV, cap. 33. (2) *Quaest. Tusc.* lib. II, 26. (3) *Cic. De finibus*, lib. II, 2. (4) *De rhetoribus*, I. (5) *Pro Mur.* 14. (6) *De officiis*, lib. II, 19, 66.

sacrarum. Enucle synaxis, hoc est so tur; ieinium Don vit brevioribus c per diaconum fac consecrationis, d) tione Sacramenti cantibus, hoc est a bus, distribuente di dantur fidelibus re tum domi, tum ali tutina, vespertina. synaxis habeatur, gregari ante aur cuivis unus est c reliqui episcopi test biles et irrecusabile coni post lectores conissae, locum ha diaconos, proprias ab episcopo bene numerum referunt nos moniales. - A sacerdotes prohibe lictum vino et ca lorum symbolum i est, et chrismati hodierno non dist ad olea consecran Quum de sede ag assignanda, singula sedeant qui conse num prophetiae, b) c) donum linguaru in liturgia exoratio ut illa in iis dona unquam deficere p

Quantus sit libe tis afferat catholica quantum testimoniu mutabili Ecclesiae nemo est qui non

Hic enim habet vel Pauli tempora, proxima. Paulinis de illo collegio. Paulus monebat in cap. V: « Viduas he duae sunt », etc. R Pauli epistolam del

Iterum cum Pa sedes illae virorum, a Deo dati sunt, u tenebras dissipant epist. I. ad Cor. XI. posuit Deus in Eccle prophetas, tertio d gratias curationum, nera linguarum, inter omnes Apostoli? Nu quid omnes doctores quid omnes gratiam omnes linguis loquuntur? Aemulamus Eadem clarius et ubi

In epist. ad Eph « Et ipse (Deus) de quosdam autem pro aliis autem pastores nem sanctorum in o corporis Christi ».

sacrarum. Enucleamus praecipua. Sabbato sacra synaxis, hoc est solemne missae sacrificium, indicatur; ieunium Dominico die. - Missae ritus absolvitur brevioribus caeremoniis: a) proclamationibus per diaconum factis, b) praefationibus, c) verbis consecrationis, d) actionibus gratiarum, e) traditione Sacramenti eucharistici fidelibus communicantibus, hoc est ad sacram convivium accedentibus, distribuente diacono. - Certis temporibus mandantur fidelibus recitandae preces tum in templo, tum domi, tum alibi, horis tercia, sexta, nona, matutina, vespertina. Si sacram fiat, idest si missa et synaxis habeatur, fideles iubentur in templo congregari ante auroram. - In consecratione episcopi cuiusvis unus est consecratus episcopus, consecrato reliqui episcopi testes adsunt venerabiles et irrecusabiles auctoritate. Subdiaconi post lectores sunt. Viduae, seu diaconissae, locum habent proprium post diaconos, proprias habent preces, atque ab episcopo benedictione singulari in numerum referuntur, prout nunc apud nos moniales. - A nuptiis episcopi et sacerdotes prohibentur, iisdemque nec licet vino et carnibus uti. - Apostolorum symbolum in ritu baptizandorum est, et chrismatis impertiendi ritus ab hodierno non distat; immo adest ritus ad olea consecranda pro morituris. - Quum de sede agitur cuique in templo assignanda, singularia tribuantur loca ubi sedeant qui consequuti a Deo sint a) donum prophetiae, b) donum curationum, c) donum linguarum; ac peculiaris est in liturgia exoratio, qua rogatur Deus, ut illa in iis dona confirmet, nec ab iis unquam deficere patiatur.

Quantus sit liber hic, quid auctoritatis afferat catholicae doctrinae, quale et quantum testimonium immutatae et immutabili Ecclesiae Romanae perhibeat, nemo est qui non videat.

Hic enim habemus, aut ego fallor, vel Pauli tempora, vel convenientia et proxima Paulinis decretis, cum agatur de illo collegio mulierum, de quibus Paulus monebat in epist. I ad Timoth. cap. V: «Viduas honora, quae vere viduae sunt», etc. Rei studiosos ad illam Pauli epistolam delegamus.

Iterum cum Paulo consonant recordationes et sedes illae virorum, qui primis Ecclesiae temporibus a Deo dati sunt, ut miraculorum luce idolatriae tenebras dissiparent. Ita namque ad hoc Paulus, epist. I. ad Cor. XII, 28-30: «Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes prophetae? Numquid omnes doctores? Numquid omnes virtutes? Numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid omnes linguas loquuntur? Numquid omnes interpretantur? Aemulamini autem charismata meliora». Eadem clarius et uberior in eadem epist. XIV, 22-40.

In epist. ad Ephes. vero, IV, 11-12, haec habet: «Et ipse (Deus) dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores, et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi».

Amplius hoc idem nulla in Sacrificio epistola probat, et brevitas ipsa ritus absque *Credo*, absque *Canticum*, absque ipsa prece *Kyrie eleison*, quae vetustissima traditur.

Praeterea aliquid habemus hebraismo nimis proximum; nam sabbatum solemne est, minus autem Dominica dies, quae immo ieunio infirmatur; quae contra decretis Pontificum religiosissimis honos debitus Dominicæ datus sit, utpote diei Resurrectione Domini insigni, idque ab Ecclesiae nascentis, ut ita dicam, exordio.

Insuper a Plinio rescimus in epistola ad Traianum (an. Chr. 111-113) esse Christianis in more antelucanas illas congregations in templis, quae hac de causa *ecclesiae*, hoc est coetus, conventus, congrega-

rum nuper in bibliotheca Phanar repertam, ειδαχτη, et Testamentum D. N. Iesu Christi non obscure indicare, praesertim quum ambitiosos illos titulos, quibus libri illi tum nomine Christi, tum nomine Apostolorum ferebantur insignes, nemo in Ecclesia, nisi Discipulus, aut Apostolus, sive imponere, sive evulgare ausus fuisset.

H. DE VECCHI PIERALICE.

### “FAKIRI,, QUI DICUNTUR

**E**x India, veluti e fonte continuo atque perpetuo, magna quaedam ac mirifica proficiunt accepimus: ibi enim prodigia videre est naturae, quae tum splendidissimo solis iubare, tum florum atque avium pulchritudine, tum arborum proceritate et robore, tum anguum denique belluarumque immanitate animum admiratione percellit; sed ibi etiam homo, fanatico correptus furore, incredibilis suscipit fascinora, adeo ut spectatores stupore simul ac terrore, misericordia et indignatione afficiantur necesse sit.

Penes Indos ad summam virtutem et dignitatem pervenit homo, quem se horrendis excruciat tormentis, quae minime conqueritur. Celebres id genus spectaculis sunt Fakiri, qui lectulum sibi tabula sternunt, ex qua innumerabiles itemque acuti prodeunt clavi, in quibus stare, aut in talos inclinati sedere, aut cubare, sub sole ardenti, coram frequenti populo, multas horas solent, nec minimum tamen doloris indicium suspiriis praebent, aut demissio gemitu, aut vultus musculis vel levissime contractis.

Neque hic consistunt tormenta, quibus sua sponte se vexant Fakiri: alii enim collum ferreo solidissimo circumdant annulo, cui graves tanta copia inhaerent catenæ, ut totum corpus quasi ferrea veste obducatur: brachia insuper et crura onerosis obstricta catenis maxime anguntur.

Alii reperti sunt, qui brachiis sursum erectis, statuae instar, decem, viginti, triginta fortasse manserint annos, ita ut articuli diurno vehementer conatu obduruerint ac frangi potius, quam flecti potuerint; unguis autem praeter modum succretæ atque in se reflexæ, quasi salicis ramuli miserum in modum pependerint.

Ecquis incredibilis cruciatus, quos insuperata animi vi tot annis pertulit Fakirus, verbis abunde consequi potest? Qui quum ad sibi providendum haud amplius sit idoneus, fidus diu noctuque ei adest famulus, a quo cibo potuque reficiatur.

Sed sunt alia maiora: eo enim a fanaticis Indis adventum est, ut vel seipsos vivos sepelire non dubitaverint. En incredibilis sepulture ratio: facie lineteolo coniecta, Fakirus in foveam a se ipso actam caput usque ad humeros inicit, manibus circa sepultam corporis partem humum congerens, quae a spectatoribus pedibus quoque premitur; atque ita uni nixus genu, palmis ad stipem porrectis, longum tempus Fakirus sui miserandum exhibet spectaculum. Qui fiat, ut spirabilis aeris defectu minime suffocetur, aut continuo vehementissimoque sanguinis fluxu in cerebrum apoplectico correptus morbo non intereat, vix ac ne vix quidem mente concipi potest.

Quanto autem cultu atque obsequio dignus ha-

### NOCTURNA VIATRIX

*Nostra, verecunda lunae sub lumine, tellus  
It velut alba vias cymba per aethreas;  
It strepitu nullo et nullo pulsatur ab ictu,  
Non secus ac fatis vecta suave suis.  
Sidera labentem submissa voce salutant:  
— Salve o dormitans fusca, modesta, soror! —  
Numquid at ipsa sciunt heu quot suspiria cogat,  
Quotque eat infandis obruta criminibus?  
Aes tantum vigilans tinnitu nocte per urbes,  
Per villas horarum indice dat sonitus  
Tranquillos et nunquam praetereuntibus horis  
Cessantes; similes vocibus angelicis,  
Quae dum terrigenis pacem veniamque precantur  
Fletus et lacrimas mox abitura canunt.*

*Monteregali in Sicilia.*

*Ios. FEDELE. (1)*

(1) Ex italicico epigrammate ALINDE BONACCI-BRUNAMONTI.

*tum  
J. IACHINO.  
CHRISTI  
MENTUM  
am insigne re-  
tatore orienta-  
Ephrem Rah-  
no. Qui inter  
manuscriptum  
testamentum Do-  
ceptis et Man-  
suectum, que  
ant communia  
ionem rerum  
Tusc. lib. IV, 3.  
atoria, lib. XII,*

*tiones dicebantur. Haec autem clare patet ita fieri ex mandato Testimenti Dominici, non Testamentum Dominicum ita conscribi, ut antelucanis illis accommodaretur et aptaretur; quia praeceptum obedientiae praecedat necesse est; non enim aliiquid antea fit ut postea imperetur, sed antea praecipitur ut postea fiat.*

*Denique illa communia dona prophetiae, revelationum, et sanationum et linguarum scimus ab Ecclesia Dei perisse, in paucos tantummodo revocata, et quasi circumscripta, diebus sancti Irenaei, qui a. C. 150-202 emicuit. Necesse igitur est aetatem operis eo in loco ac tempore collocare, quae multis annis Irenaei tempus praecedat, nisi velimius lepide ferre sedilia constituta in templis fuisse, in quibus nemo sederet.*

*Quae cum ita sint, mihi videtur adscribenda aetas operis aetati Apostolicae potius quam saeculo recentiori cuilibet; idque praesertim cum in epistola Pauli habeamus (I. ad Timot. VI, 3): «Siquis... non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, et ei, quae secundum pietatem est, doctrinae, superbus est», etc. Quae verba credo et Doctrinam Apostolo-*



beatur, quot quantisque donis Fakirus cumulet ab Indis, difficile dictu est. Etenim quum communis sit opinio preces Fakirorum summae eorum virtutis, praestantissimum meriti causa benignis auribus accipi a diis, omnes officiis atque munib; certant potentium inire gratiam, ut, ipsis faventibus, caeli beneficia, ac cetera, quae magnopere exoptent, plene perfecteque consequantur. Idque clarum perspicuumque est ex ingenti pecunia atque donorum copia, quae ad Fakiri pedes quotidie congeruntur.

Haec omnia, si pauca excipias ad Fakiri victim omnino necessaria, ipsius iussu ad nova excitanda tempa, aut ad vetustate collabentia restituenda adhiberi videntur. Quapropter Fakiros, qui suo ceterorumque fanatico furori se immolent, plerique miseratione ac benevolentia quadam complecti non dubitant: at vero sunt etiam qui putent, eos nihil esse aliud, nisi vafermos histriones, qui religionis specie ingenuorum decipient fidem ad divitias turpiter congerendas. Haec sententia minime amplectenda mihi videtur, tum quia divitiae, quanta cumque sint, quantique a plerisque habeantur, cum diutinis vehementibus tormentis comparari nequeunt, quibus se excruciant Fakiri; tum quod frustanea prorsus essent, quae ipsis, in exstruendis opibus, sibi proposita haberent. Namque Fakiro, ut cuique perspectum est, magis irrationi et dolori, quam utilitati ac solacio essent divitiae, quibus perfri non valeret: quum enim brachiis, ut vidimus, uti non possit, vitamque exigat horrendis exigitam aerumnis, rationis lumine duci certe non videretur, si nihil aliud, nisi aurum, in crudelissimis tormentis diu perferendis sibi propositum haberet.

Atque hic animadvertisendum puto me de Fakiris humanitatis cultu expolitis minime esse locutum, qui omnes Europae regiones luci gratia peragrandes, spectator oculos praestigiis ludisque deludunt atque oblectant in theatris et in popinis seu thermopolis, quibus dat nomen calida potio ex arabibus fabis tostis ac tritis, ubi quotidie vesperi musices et cantus eduntur spectacula. Hi enim quum toto caelo distent a Fakiris, de quibus diximus, eorumque nomen iniuria usurpent, verba addere supervacaneum putamus.

HERSILUS.

*O magna visi viritatis, quae contra hominum ingenia, calliditatem, soleritatem, contraque fictas omnium insidias, facile per se ipsam defendat!* (CIC. Pro M. Caelio).

## HIEMS

**H**ORRET iam etiam nobis caeli facies imbris et nive tristis, quamvis miti aëris tempestate natura fruatur. Itaque cum circumspicimus squallidas vias, raros deambulantes, domum tecta, lapides platearum, aridas arbores omniaque late candido nivi indumento obruta, non possumus quin tot egenos paupertate, vel morbis, vel senectute, vel labore confectos recognoscimus, quibus forte contra intolerabilem hiemis rigorem, nullam aut labentem undique domum, exile et hians pluribus locis pallium tantum opponere datum est.

Ex his tamen, quos aspera fata tam acriter torquent, nullius in mentem, ut puto, gemini sociantur, qui longe terribilis hiemis rigorem, licet alacri sua voluntate, sustinent, nulloque cogente, borealis emispherii saevitas, uno naturae explorandae studio tolerant. Et sane, quoties emeriti nautae, ex audacissimis comitatibus ad investigandam poli faciem profecti, in patros lares redierunt, nil pressus quod enarrarent habere visi, quam frigoris intolerabilis nova tormenta, quorum rabiem haud multi inventi sunt qui valerent firmo animo pati.

Optime enim Kane doctor, huiusmodi expeditionibus clarissimus, asseruit longius consenescere virum, qui unam tantum diem sub polo deduxerit, quam qui ubivis orbis terrarum integrum expleverit anni circulum. Haec quidem Europaei nautae iam ex tunc sunt experti, cum primus, maxima audacia compulsi, boreales vias omnibus ignotas tentaverunt; cum enim Batavi et Zelandienses primi, triplici navali comitatu distincti, ad Novae Zelandiae oras hibernia ducerent, frigoris rigor eo devenerat, ut si quis clavum in os immisisset, non alterum quam labiorum pelle dilacerata illum extraheret. Lectulos candentibus saxis calescere oportebat, cerevisiam in phialis rigidam igne resolvere, calcareum soleas comburere, ut pedes aliquantulum soverentur: horologiorum vero rotas gelu sistentes, nullimode in motu revolvere licebat.

Attamen pessima inter polaris frigoris effectus sanguinis congelatio est, qua plerumque brachia vel pedes eo afficiuntur, ut ferro amputari debent. Anno 1875, cum angli nautae in Alert navigio glacie constricti hibernarent, cumque liquidum mercurium ad quadragesimam septimam usque fistulæ lineolam, quae glacie signo subest, descendisset, bis quatuor nautae hac sanguinis rigiditate correpti sunt, eorumque arida membra chirurgi opera caedi oportuit. Congelationes haec non alterum quam ustiones dolorem affere dicuntur, immo, quia acris in carnes mordeant, difficilius convalescere.

Sed peiora sunt quae inter Greely tribuni hibernia contigerunt, cum liquida mercurii columna sexagesimum primum frigoris gradum attigisset ipsaque in vitro globo rigens, eius parietes disiecisset. Cutis enim in violaceo colore pallescens, alba deinde fiebat, phialæ vitreæ, in quibus liquores ad potum continabantur, passim erum-

pabant, vestes quasi ferreæ loricae rigeabant, metalla tactu veluti carentia adurebant manus; Bellot quidam, qui in nautarum numero recensebatur, auctor est, se cum ad metallicam pyxidem labia ad bibendum admovisset, eorum pellem ad cyathi oram haerentem dereliquisse.

Sed Welman, qui ex novissimis polaribus exploracionibus tam clarus evasit, suprema enarrat: cadaver nautæ cuiusdam, Bentzen nomine, ad alterum usque mensem post obitum, frigoris densissima vi, mansisse incorruptum.

Atqui non desunt, ut notum est, docti viri qui credant et illas olim terras, quas hodie millenaria glacies obruit undique, orbe terrarum adolescente, viridi herbarum omnium plantarumque laetitia fuisse donatas. Tunc, aiunt, veluti hodie ad Canarias insulas, polaribus in silvis tepere aerem: tunc gigantes bellus pecudesque horridas persata illa miranda pascere; at deinde, temporum maturitate superveniente, riguisse paulatim hinc et inde orbis vertices, atque bellus omnes frigore abactas in medium terrae zonam descendisse; tandem vero incipiente mundi senectute hominem ultimum conditaram rerum esse ortum, cui continget forte in supra aetate ac frigescente reliqua terrae facie, ut se quoque videat frigore ad equatore gradatim expulsum ac paulatim deinde peremptum.

Memini somnia haec calamo lectissimo in *Populari Astronomia* a Camillo Flammarion legisse conscripta, at cordatis viris, etsi lenociniis omnibus artis exornata, somnii ad instar semper manebunt; id tamen quod verum est, miserias scilicet a nautis audacissimis toleratas, ea praestet velim, ut quod nos torquet exile friguscum, sine questibus sustineamus.

A. COSTAGGINI.

## APERITIO PORTAE SANCTAE

### A SUMMO PONTIFICE LEONE XIII

DIE XXIV MENSIS DECEMBRIS MDCCXCIX PERACTA

**S**UMMO mane Vaticani templi platea christiano populo non modo frequens, sed omnino referta conspiciebatur; quamvis magna illa solemnitas in horam xi indicta fuisse. In portico templi tapetibus, sericis et phrygiis nobili arte exornata, solium pontificum super omnia eminebat. Ordines et sedilia constituta fuerant principibus ac dynastis romanis, et consanguineis Pontificis; tum loca sublimia præ certis parata principi Suetiae et Norvegiae, comitis Trani, et duci Alinconiens.

Summus Pontifex, firma utens valetudine et iucundus aspectu, supra quod credibile est, sacris vestibus indutus, caeremoniisque, uti alias diximus (1), qua pars est magnificantia absolutis, Paulinum sacellum, decanum, cancellarios, et templum in

(1) Cfr. an. II, num. XXIV.

lum lectio  
Veni Crea  
scalarum  
ctica, sella  
porticum,  
gressus es  
Hic vir  
illam, et  
describere  
vultum er  
sublimi ca

Ritus

magistris,  
eoque pera  
hanc Sum  
sus est te  
dextera cr  
Portae San  
proximo sa  
toribus hy  
tum, decan

Interea  
episcopi et  
erat, templ  
tuta, Sum  
fuerat San  
est. Tum d  
cancellos n  
templum in

Omnibus  
tifax iterum

lum lectica vectus adivit, ubi, postquam hymnum *Veni Creator* valida voce praecinuit, ad extremum scalarum regiarum gradum perrexit. Ibi, relicta lectica, sellam gestatoria ascendit, et magnam illam porticum, quasi divinum aliquid ore praeferen, ingressus est.


Hic vires ingeniumque deficiunt, quibus visionem illam, et populi devoti admirationem aliquo modo describere valeam. In augustum sanctissimi Patris vultum erant omnium oculi atque ora conversa: sublimi caeremoniae spectaculo rapiebantur omnes.

Ritus aperitionis adamussim a caeremoniarum

podium evectus est, tubis argenteis per sublimia lacunaris caeleste concinentibus cumen, ibique, more solito, adstanti populo solemniter benedixit. Tunc per duos diaconos cardinales, qui ad rem podium concenderant, «plenaria indulgentia» praesentibus omnibus concessa est, sermone latino prius, italico postea annuciata.

Denique eodem modo, quo illuc pervenerat, ad sacellum Sanctissimi Sacramenti, acclamante populo, Summus Pontifex perrexit, ubi, postquam sacra in dumenta deposituit, in lectica sedens, cardinales salutatum advenientes singulos benignus et laetans

Principes huius machinae partes habentur: 1º in duabus auriculis, quae filis ex alluminio confectis superponuntur naturalibus auribus, iisque haerent; 2º in capsula acustica, ad instar telephonicae capsule, ante os gerenda, in qua repercursor sonitus protenditur 3º ad thecam, ubi elementa sunt electridem cienia, alluminii lamiae affixam, cui locus ad pectus est. Haec autem omnia ita ad minimum reducta sunt arte mirabili, ut quantus est apparatus commode in quavis vestium pera feratur. Tum Johnson ille, tum ille Mac Alonay, penes quos in surdo-mutorum Alabamae reipublicae collegio experimenta instituta sunt, aperte fatentur, centum et ultra surdo-mutos clare voces familiaris dialogi quindecim vel viginti semotis passibus



Solemne aperitionis Portae Sanctae a Leone PP. XIII peractum. (Tabula ad fidem expressa vix strato portae parieti).

COSTAGGINI.  
magistris, omnia sedulo vigilantibus, fuit absolutus; eoque peracto, stratoque pariete Portae Sanctae, per hanc Summus Pontifex ipse primus ac solus ingressus est templum, laeva manu ardente cereum, dextera crucem gestans hastilem. Deinde custodes Portae Sanctae alloquutur in sella sibi parata in proximo sacello consedit, populo certatim cum cantoribus hymnum Ambrosianum, a Pontifice inchoatum, decantante.

Interea cardinales, patriarchae, archiepiscopi, episcopi et alii, quibus iuxta ordinem pompa iusserat, templo succedebant. Dein, pompa iterum instituta, Summus Pontifex ad sacellum, ubi expositum fuerat Sanctissimum Sacramentum, lectica deductus est. Tum denique confertissima illa turba, quae extra cancelllos morae impatiens aderat, facta potestate in templum irrumpit.

Omnibus iuxta ritum compositis, Summus Pontifex iterum sella gestatoria in medium templum ad

acepit, ipsique bona verba loquitus est tum de solemnitate feliciter perfecta, tum de spiritali fructu, quem tanta frequentia populi pollicebatur.

F. C.

*A Caeremoniis Aulae Apostolicae.*

#### NUPER EX ELECTRIDE INVENTA

QUE ad vitae usum accommodata ex electride inventa passim in hoc commentario referens, illud praeterire silentio non possum, quod immo, utilitate perspecta, principem quasi locum sibi vindicare videtur, quum ipso surdis auditus ac mutis eloquii facultas praebatur. Americanus quidam, ex Mobile in Alabama, Miller Reed Hutchinson tribus in opus perficiendum annis incubuit, perfectumque obtulit clarissimis viris J. H. Johnson, ac Thomas S. Mac Alonay, qui, rector primus, alter autem praceptor in collegio surdo-mutorum Taladegae, rem experimentum probarunt, idoneam ac optimam factu edixerunt.

audivisse, nonnullos autem triginta et ultra passibus distas.

Sed et criterium idem electridi permeanti nervos dociles praebendi callem forsitan aperuit, viamque stravit Peter-Stiens medico ad excitandam in cerebro imaginem lucis et rerum imagines apud eos, qui vel nativo vitio, vel infortunio aliquo oculorum vim amiserunt, et caecitate miserrima infelicissimi mortalium omnium deficiunt. Caze, et ille medicae artis doctor, morbo laborans, rei experimentum in se voluit constitutum, isque rem admirabilem factu et auditu incredibilem publice declaravit; modum autem rei assequendas non prodidit, auctore vetante, cui ad inventum perficiendum aliquid deesse adhuc videtur. Haec itaque nos annuntiassae sufficiat; rem (maximi enim habenda est) analytico fusiorique calamo scripturi suo tempore resumemus.

Sit nunc de aliis medicis virtutibus atque de singulis quibusdam electridis usibus.

Electridem ad somnum conciliandum adhibitam iam alias in nostro commentario adnotavimus. Medicus ex Wiesbaden recens enuntiavit se prospere, *negativum* ingerentem

bant, metalla tactu illo quidam, qui in or est, se cum ad m admovisset, eo m dereliquisse. polaribus exploratio at: cadaver nautae usque mensem post se incorruptum. acti viri qui credant maria glacies obruit ridi herbarum omniatas. Tunc, aiunt, bus in silvis tepere usque horridas per temporum maturitate et inde orbis ver pactas in median incipiente mundi m rerum esse oritate ac frigescente frigore ad equaende peremptum. ssimo in Populari se conscripta, at exornata, somnii quod verum est, eratas, ea praestet culum, sine que-

COSTAGGINI.

ANCTAE

XIII

XCIX PERACTA

ate christiano omnino referta solemitatis in templi tapetibus, a solium pontificis et sedilia stis romanis, et sublimia praecepsiae, comitis-

letudine et iustitia, sacris vestibus diximus (1), aulinum sacel-

*polum* vulneri, electride usum esse ad exterminanda venena, quae humanis artibus inseruere apes, culices, vespae, scorpiones. Qua ratione haec fiant, quid inter electridem et haec venena sit, quo denique pacto exiguis electridis rivulis deleantur, et id ignotum prorsus; effectus autem nemo inficiabitur.

Ecquid vero est inter hanc inventionem et rusticorum usum, quippe ipsi saepenumero agricolas medentes huiusmodi vulneribus vidimus apposito aureo annulo, ferro, argento, cupro, metallis denique quibuslibet, quae sint in promptu et ad manus? Quid inter haec metallata interpositae quercus frondes, aut vitis, vel squalia sint, quae acidulum saporem succumque passim habeant? An haec aliquid commune habent cum rudi apparatu galvanico, vel voltaica columna exigua? Et quis rusticus quoad ista tot ab saeculis docuit, huiusmodi namque remedio, prout multis, quae apud rusticos sunt, atavorum abavorumque traditione fruantur?

Lepidum usum electridis proposuit igienico Noviportus-Novi (Newport News) concilio in Virginia Americanae foederationis, vir, meo iudicio, non mediocris ingenii, ad coercendos in statione eos aegrotos, quorum frequentia et consuetudo tum ceteris civibus tum saluti publicae obest, et hac de causa apposita mansione cohidentur, quam nos a Lazaro illo leproso *Lazzarettum* iure dicimus. Non muris, non fossis (illi ventos, salubresque auras prohibent, hae humidum aerem, et perniciosos gignunt vapores), sed rete quoddam *electridis medicatae* circumducendum loco doloroso iubebat, quod rete si quis vel frangere, vel superare tentaret, irruentis impetu electridis seu sternetur, seu reiiceretur; ita porro (et hac de causa diximus: *medicatae electridem*) ut corriperet ac repelleret, non necaret.

At electride ludius quidam feliciter usus est ad animalia viresque addendum ursu saltanti coram gentibus. Notamus hic autem aliquod peculiare bestiis ex electride; nam eadem electrides, quae ursum ad laetitiam excitat, leoni imposta furorem huius suscitavit immanem, qualisque nunquam flagraverit.

Iterum, electride movente, constituta nunc machina *electrotrah* est ex officinis Winderthur, quae ferreis axibus stratae viae a Burgdorf oppido ad Thun in Helvetiis eadem

6]

## LOLLIUS

### SIVE DE PROVECTA LATINITATE

Ceterum non video cur doctrinam verborum, quam unicam quasi provinciam decernis litteris, rem futilem putes, quum exploratum sit, quod Stuartus Millius probe animadvertisit, in latinis praesertim dictionibus singulis totidem philosophiae pracepta contineri. Quare doleo vehementer tam parum gratiae a te inivisse hyperboreos illos, qui latinitati restituendae tot lapillos contulerunt, eosdemque contemni quasi plebeiam grammaticorum cohortem. Verum de his alias; nunc domum, hoc est ad nostros redeamus.

Igitur Plato abesse a republica voluit poetas. Quid ergo? Num in sapiente, nisi stoici esse velimus, desiderari civilis prudentia atque usus rerum gerendarum non aliquando poterit, aut certe, si de poeta agatur, tranquillitas mentis?

*Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbem,  
Rite cliens Bacchi somno gaudentis et umbra (1).*

De insectandis autem rhetoribus Demostheni prorsus assentior; quamquam eos non complectar hoc tempore, ne mea longius aberret oratio. Interim post graecum oratorem, audi Tullium, Trebatum, te profligantem, qui dum litteris ultimum cedis locum, relictae tamen rhetorices desiderio tamidu cruciariis. « Omnes istos me auctore deridete atque contemnite, qui se horum qui nunc appellantur rhetorum praecettis nomen oratorum et vim complexos esse arbitrantur » (2). Cum ipso autem Demosthene

(1) Hor. II Ep. II, 77.  
(2) Orat. I, 3, 12.

praestabit, quae vaporitrahæ ad haec usque tempora praestiterunt, si trames ita dispositus fuerit, ut nihil insuetum in ipso habeatur. Videntibus eadem appetet ac si carrus esset, quo homines veherentur. Duo electro-motores, aequi trecentorum equorum viribus, hanc rapiunt in sulcos ferreos tutius atque potentius quam vis ipsa vaporis. Scimus in Italia aliiquid non dissimile apparari; intervallum enim inter Neapolim ac Romanum *electrotrahis* huiusmodi superare in animo est, atque utrum ad ciendam electridem fluentia Tiberis, Liris et Vulturni sufficient necne, modo quaeritur, resque in manibus mathematicorum virorum et mathematicorum est.

Sed ad finem properamus.

Est ioci genus equestre; equiria prisci, nos cursus appellamus, quo equi, sessoribus onerati, concito cursu per hippodromum feruntur. Praemium praeeounti proponitur. Equorum domini, quisque celeritatem sui equi victricem sperat, non mediocrem pecuniarum vim hinc, inde sponte, seu deponunt certantes contra quotquot praesumant sive praenuntient alium vel alium equum velocitate praestare.

At quid non possit fraus? Interdum Croesus quidam sessores equorum, et custodes circi auro corrupti; quo factum est, ut equis ceteris in medio cursu cohibus, ne quantum possint eo valeant, designatus equus vixit tantum evadat, cuius Victoriae Croesi illius vel superbia vel avaritia favebat.

Quid iudices decernant in fraudem quum longe absint, quum nubes pulveris equos præcipites involvat, dum

*Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum?*

Electride cautum nunc est, ut super iter equorum suspensis filis electrica sternatur via, qua iudices circi, et ipsi domini, si fas, curru vehantur, celeritatem currus iuxta velocitatem equorum moderantes, atque ita eodem tempore testes et iudices fiant, ne quid fraudis obserret, sed alea tota in equorum cursu sit, non in venali voluntate et arbitrio sessorum.

O bene et non illepede factum! Advolantes iudices, imminentes, impendentes iudicatu*s* iudicandi quis non mirabitur, tanto in periculo?

M. LANI.

quis non consentiat, negante in eo positas esse Graeciae fortunas, hocine an illo verbo sit usus? Verba, dicit, certa quaedam; non sermonem, non artem, non litteras; quae si contemptui habuisset, fortuna Graeciae tanto viro caruisset.

Restat, in quo maxime delitescis, equus troianus, id est Ciceronis auctoritas posthabent litteras; cuius, sive philosophi sive oratoris, quoniam vos ista secernitatis, facile te possum sententiis obruere. Sed his non egeo; vosque, si libet, « equo ne credite Teucri ». Perspectos habuisse sufficiat

*Romanos rerum dominos gentemque togatam,*

actuosos frugique homines, quibus, praeter agrorum cultum ac potentiam in iure positam et armis, nihil videtur aliud suis propositum; quibus iisdem non mentis oblectatio quaeritur, sed præsens utilitas; qui Graecorum σωφροσύνη nullo vocabulo reddere melius latine potuerunt quam *frugalitate* (1); qui temporis servientes — sibi res, non se rebus conantur subiungere — (2); qui vel ipsos indigentes deos rusticos crearunt atque frugiferos. Ita quum essent natura comparati, quid est cur miremur quod Graecorum sapientiam omnemque humanitatem sua lance aestimaverint; quod eorum poetae atque oratores alia per occasionem fuerint professi; quod Cicero in Archiae defensione divinis laudibus efficerat poetas, in primo autem libro *De natura deorum* vituperet; quod in ea, quae de vita et moribus philosophia est, sectetur stoicos, in oratione pro Murena derideat; quod in huius ipsa causa bellicas res civilibus præferat idem, cuius exstat hic versus:

*Cedant arma togae, concedat laurea linguae?*

(1) III Tusc. VIII, 16.

(2) Hor. I Ep. I, 19.

## VITA FUNCTI VIRI CLARIORES

**Guido Gezelle**, sacerdos licet humilis — sacri curionis enim explebat vicem ad Brugas in oppido — Belgico eloquio scribens sive solutas orationes, sive versus ornatissimos atque optimos, longe inter cives alienigenasque claruit.

**Albertus Pasini** pictor, Buxeti ortus ann. MDCCXVI, in Orientis res effingendas potius incubuit, quibus late studuit, cum, iuvenis, in Persia Franco-Gallorum legatus versatus est. Repentinio morbo correptus, decessit Augustae Taurinorum in sub urbano.

**Numa Droz**, vita functus Bernae, horologiorum fabrum patrem habuit et caelatoris artem primum aggressus est. Sed doctrinae cupidus, ex se ipse litteras didicit, quarum brevi magister factus est. Interea libris diariisque scribendis vacavit, tanquam sibi opinionem apud cives peperit, ut vix quartum et vigesimum agens annum inter oratores magni, quod vocant, concili Neocomensis delectus sit. Tribus post annis publico Helveticorum coetui legibus ferendis adscriptus, multa munera optime gessit, atque bis, an. MDCCCLXXXI et MDCCCLXXXVII universae civitatis praeses est renunciatus. A negotiis tandem publicis se removit an. MDCCXCII, et ferreis viis inter omnes populos moderandis praefectus reliquam vitam exigit.

**Ludovicus Brunetti**, Istricus chirurgus, in Patavino atheneo doctor, et **Ioannes Zolia** Mantuanus de anatomiae studio optime meriti sunt.

**Mauritius Busch** nomen habuit, ut ita dicam, cum Bismarckii principis consociatum; fidus enim amicus ab anno usque MDCCCLVII ei perstitit, eoque mortuo, ipsius vitam conscripsit.

**Manfredus Camperio** Mediolanensis, multi propositi vir, excusor animosus fuit, terraque multas subtiliter ac perbelli in scriptis expressit.

I. F.

Spatio deficiente,

## IN PROXIMUM NUMERUM

*Theologiae studia ceteris disciplinis invanda.*

*“Annus archeologicus.”*

Hanc vero, quam diximus, indolem confirmavit incredibilis quidam ardor patriæ retinendæ dignitatis. Itaque postquam

*Graecia capta serum victorem cepit et artes  
Intulit agresti Latio,*

superbia Quiritium non tulit, illatas aliunde optimas disciplinas pluris haberi quam suas, sed leviores illas, minores, mediocres appellare commodum duxit. Atque haec scilicet in serum aevum

*Manserunt, hodieque manent vestigia ruris.*

Haec attenta consideratione et contracta fronte prosequentem senem repentina saltu excusit Philippus, qui arctissimo complexu Lollium adortus:

— Quod tu dicas, ecclastor, aurum atque argentum merum est. — Eius deinde manibus usque ad articulorum strepitum contritis: — Decretum — inquit — fieri censeo super iis, quae modo a Lollio disputata sunt, seu foedus ita ferri:

*AMICITIA · INGENVIS · ARTIBVS · CVM · SAPIENTIA · HIS · LEGIBVS · ET · CONDICIONIBVS · ESTO · IMPERIVM · MAIESTATEM · QVE · ROMANI · SERMONIS · SAPIENTIA · CONSERVATO · LVSVS · IOCOS · CHOREAS · TIBICINES · MIMOS · ARTESQVE · OMNES · QVANDOQVIDEM · SAPIVND · EXERCANTVR · PER · FINES · SVOS · TRANSIRE · SINITO · PRAESERTIM · CVLINARIAM · ET · BACCHI · MVNERA · SI · QVI · HAEC · MINORA · DIXERINT · EOS · HOSTES · HABETO · IN · EOS · ARMA · FERTO · BELLVMQVE · PARITER · GERITO · PERFVGAS · FVGITIVOS · CAPTIVOSQVE · REDDITO. — AVDI · TREBATI · AVDI · PATER · PATRATE ...*

— Ego vero — inquit senex — non audio solum, sed etiam subscrivo. Quid enim aequius, quam risu finiri lusum?

Pis. min. — Quin dixisti commodius? An tibi visus est lusisse Lollius?

*(Ad proximum numerum).*

P. ANGELINI.

Q UONIAM mellitus detur, ab ipsi grediens, initu net panis ille « pollinis » maficiat, « album » Tum additur exsuperet quo hisce ad coro « bellaria », « mum », « sacca omnia, quae p dulcissima qu miscenda, et it Nonnulli ex relinquunt ut lidis manibus sectae spherae dantur, summa nempe aut non trahantur. Hic a tentantque digrinarie polline di erecto, ac varii imagines, distinc partem primo de frondes, flores, figuræ omnes, it aut palato delect Atque in h narii excellere p quibus non mo effingere, sed nu geographicam Ita nunc domorum ibili fingunt. Huius panis o viatici panes, ne i quo molles denti mensem esui aptatis Dominicae, religione quadam Joseph et Maria dum hisce in via Opinor; idq conficiuntur panes quod satis sit; r vel ipsi nobiliorib At si iure hi cur primos illos « nomine, quum nu ex colore haec sa Est autem et a « salgama pinea » natum ego velim glutine inter se co rae, nunc rhombi pedinarii voluntat dulcedinem sacch ego me facile a citrini cortices sa eram ut scriberem pruina canescente At pae cetera in tempore quea v line colligatis, in bellariis, amygdali aneto, seminibus p una haerentibus, a vestita, vel circum pillulis », ne invic cum, ubi confecta tur, ex hoc vulg

## COMMUNIA VITAE

## De quibusdam cupediariis.

**Q**UONIAM eo anni tempore sumus, quod suavibus mellitis, bellariis quibusvis consecratum quasi videtur, ab ipsis etiam, communia vitae recensere aggrediens, initium faciam. Quae super procul dubio eminet panis ille, qui conficitur parte « similaginis » aut « pollinis » minima, in quam oleum optimum, quod sufficiat, « albuminis » autem exiguum, tantum quantum vel tricies exsuperet quod ex oleo, farina et albumine fuit, atque hisce ad coronidem superadduntur, non avara manu, « bellaria », « amygdala munda », « strobili », « cinnamomum », « saccharati citrini corticis frustula », et aromata omnia, quae palatum vellicent, ac denique tantum « sapae » dulcissimae quantum par sit ad ea omnia versanda, commiscenda, et ita tenenda, ut in morem panis coalescant. Nonnulli ex « cupedinaris » hosce panes in « mactra » relinquunt ut fermentescant; quod ubi fiat, iterum validis manibus ex integro massa versatur, iterum in panes sectae sphaerae similes finguntur, clybanoque panes ipsi dantur, summa vigilandi cura, ne utram cadant in partem, nempe aut non satis cocti, aut siccii nimis, aut adusti extrahantur. Hic autem cupedinaris indeos et ars audientque tentantque digna mensis deorum; nam saccharo et farinæ polline dilutis, albumine diu contrito et in spumas erecto, ac variis coloribus, iuxta quae sunt facienda imagines, distincto, Minerva pictoria convexam illam panum partem primo deliniunt plerunque candido, mox addituri frondes, flores, agrorum scenas, avium vel quadrupedum figuræ omnes, ita ut penitus gustans ignores utrum oculis aut palato delectabiliores adstructi sint.

Atque in his quidem conficiendis romani cupedinarii excellere propemodum communi sententia videntur, quibus non modo lubet interdum in morem panis illa effingere, sed nunc pileos hac massa, nunc caligas, nunc geographicam Italiae figuram, nunc agnos, nunc turrium, nunc domorum imagines arte mira et imitatione spectabiliter fingunt.

Huius panis origo ex Oriente fertur allata; illic enim viatici panes, ne itinere arserent, astaphide farciebantur, quo molles dentibusque dociles fugiter fierent, et vel in mensem essi apti durarent. At cur in pervigilio Nativitatis Dominicae, totaque octava ritu quodam eduntur et religione quadam apponuntur edentibus? Numquid quia Joseph et Maria peregrinantes ad Bethlehemiticum oppidum hisce in via, hisce vespere sacro refecti sint?...

Opinor; idque eo magis, quia Epiphania nobiliores conficiuntur panes, quæs piperis insuper additur ultra quod satis sit; reges enim illi adventantes ex Oriente vel ipsi nobilioribus vescebantur.

At si iure hi postremi « piperati panes » appellantur, cur primos illos « astaphidos » proprio non designabimus nomine, quum nunc Romae Pan-giallo, quasi pallens-panis ex colore haec salgamorum species vocetur?...

Est autem et aliud salgamorum genus, quod plerique « salgama pinea », sed melius « pino-salgama » nominatum ego velim, constans pini seminibus saccharino glutine inter se coagentatis, formamque nunc semispheæ, nunc rhombi præferens, coloribus diversis pro cupedinarri voluntate distinctum, cui tamen nihil est præter dulcedinem sacchari et levissimum pini aroma. Ab his ego me facile abstineo, cui optabiliores profecto sunt citrini cortices saccharo liquefacto decocti (iam in eo eram ut scriberem: elixi), et saccharina albedine, quasi pruina canescentes minutæ.

At præ ceteris insignia inter « cupediaria » sunt hoc in tempore quæ vel nucibus et avellanis, melle et polline colligatis, in regularum speciem deducuntur, vel bellariis, amygdalis, avellanis insuper, citrinis corticibus, aneto, seminibus pini commixtis, melle et saccharo simul una haerentibus, conficiuntur azymis pelliculis circumvestita, vel circumaspera undeaque « saccharinis lapillulis », ne invicem liquefiantes adhaerescant. Quæcum, ubi confecta sint, mediocri clybani calore torreantur, ex hoc vulgo torroni italicice nominantur. Nonne

haec « mellinacea » ac « polibellaria » latine vocare possumus?

Iamque habetis vos, lectores, quæ neque dentibus, neque palato repugnant. Dulcificans ora vos annus exceptit novus, laetificatos corde excedens relinquat... novisque novarum rerum nominibus locupletatos.

P. ALEXIS.

## QUAESTIONES INTER SOCIOS PROPOSITAE

## V.

## De nomine telegrapho fili experti imponendo.

**L**EGI nuper Marconium, qui huiusmodi telegraphum adinvenit, anticipitem esse de nomine eidem invento imponendo, atque grates relaturum si quis ipsi probandum dederit.

Verba hactenus effecta in Anglia, ubi nunc Marconius commoratur: *aerographia*, *eterographia*, *eterographia*, *signographia*, habentur, quibus addendum verbum *lodgeographia* ex Oliviero Lodge doctore, ad quem nonnulli primam inventi originem referunt. Sunt denique qui *margraphiam*, *marconigraphiam*, vel *marcographiam* telegraphum hunc dicendum autum marint ab ipso Marconio, non aliter ac de Galvano et Volta olim factum est.

Eia, agite, o socii: vos qui latinum item graecumque sermonem sapienter calletis, nomen effinigte per *Vox Urbis* commentarium proponendum.

F. ARNORI, *socius*.

QUAESTIONI NUPERRIMAE  
DE LATINI ELOQUII PRONUNTIAZIONE  
RESPONSUM

**E**RUDITUS vir D. Macrae, quem in deliciis habemus, quia et latini sermonis amantissimum se præbet, et eruditionem præfert modestiae ac temperantiae coniunctam, hanc in commentarii nostri an. II, num. XXII, pag. 176, quaestionem propositum: « Latini eloquii alia pronuntiatione utuntur Angli, alia Scotti, alia Galli. Cur non exemplar pronuntiationis habeamus, ut omnes eodem modo latine loquantur? - *Vocis Urbis* moderatores ii sunt, meo iudicio, qui nobis exemplar dare possint. Date nobis, sis, viri benevolentissimi, tale exemplar quale exspectamus, ut ego et alii socii gaudeamus».

Haec ille.

Humanissimæ epistolæ quidam e nostris haec reddidit, quæ in superiore numero, spatio deficiente, edere nequivimus:

Cl. viro D. Macrae, Hyacinthus De Vecchi Pieralice S.

Qui benevolentissimos appellas nos ac designas, recte dicis; socios enim nostros tanta dilectione complectimur, quantam nemo verbis assequi poterit. Quoad ea vero quæ rogas,

*Non ea vis animo est, nec tanta superbia nobis*, ut putemus proferre sententiam, cum tot viri nobilissimi doctissimique sileant, quibus ego, qui scribo, non sum comparandus. Feram tamen nonnulla, quæ fortasse sternent iter ad ea assequenda quæ postulas, quæque certe consequi poterimus te nobiscum satagente atque iuvante. Quid si confirmante quæ dicimus?

Duplex autem erit responsio; nam prima fert causam pronuntiationis diversæ, altera fert modum quo diversæ redigantur, et adducantur in unam.

Atque ad primam quod attinet, illud mihi ante oculos est, ut vocum sonitus non suapte vi alphabetica diuersus sit, sed quadam inflexione et deflexione cuiusvis gentis. Haec autem est in vocalibus, est in consonantibus,

est in utrisque simul occurrentibus et concurrentibus. Quo fit ut gallica *i* in praepositione in mutetur in *e*; *e* extrema mutetur in *o* vix labii, non sonitu, expressa; *e* in medio vocis vix audiatur, ita ut vox, exempli gratia, *tempore*, *vix tempore* sonet; quinimo primum *e* non det sonitum *e*, sed *a*, et ferat omnimode *tamp'ro*. Quid si addidero um exterrum mutari in *om*, plenissimum ita ut non *vobiscum*, sed *vobiscom* audiatur? Procedamus, o vir doce; procedamus. Quid commune habet *ch* cum sonitu *sc*? ai cum *e*? Sexenta ferre possum.

Et ad Anglos gradior; i apud vos cur pronuntiatur *ai* in voce *times*? quæ vox apud vos, uti pronuntiatur *taims*, indicat nomen *tempus*; apud nos indicat secundam personam indicativi præsentis singularis in verbo *timeo*. Quia id ex causa? Quia *e*, lata sono, constricta est in *e* arcta sono et proxima *i*; *p* ablata est, *a* hiulca facta est pressis labris, et scripto proxima *e* in pronunciatione ablata. Habes itaque idem verbum, quod habet *e* ante *m* traductam scripto in *i*, pronuntiatam gallico modo *am*, levi addito *i* ante *m*; reliquum ex vocali *u* ablatum, et pariter litera consonans *p*. Ac tamen quam proxima verba *taim[ps]* ac *tempus!* Dic idem de illo *the*, quod sonat *tuvi*.

Quae cum ita sint, illud redit in primis, ut eodem latino sono utamur: « Enuntianda sunt literæ omnes et singulæ, non ex conventionali collocatione, occursu aut incursu propriis Anglis, Gallis et Scotis, sed nativo sono alphabeticō, nihil presso, nihil hiulco, nihil contracto, nihil quovis accentu sive impetu vocis gravato ». Brevis dicam: « Enuntianda sunt alphabeticō sono uti iacent conscriptæ literæ omnes, sive vocales, sive consonantes ».

Si nostra ista placuerint, in commentariis nostris describam duplēm responsum, de qua sum locutus, nempe de causa et modo pronunciationis diversæ. Sin minus, tacebo. Ecce? Volutanti milhi lexicon anglicorum verborum latinis videbar verbis inesse; cum vero ea more dicebam latino, anglica verba non erant. Iamque satis. Vale.

His litteris acceptis, aliae pervenerunt ad nos ex Lucania a socio P. A. R. missæ, exemplar propositum pronunciationis impossibile futurum disceptantes. Eas vero, ne longiores simus, in proximo numero edemus; itemque in posterum ipse de Tusculani lapidis interpretatione rursus dicam, cum nonnulla de re indicia ex Batavia, ex Hungaria et aliunde etiā a sollertissimis sociis ad me allata sint. Quae quidem omnia *Vocem Urbis* lato assensu deliciosa ostendunt apud litteratos homines et doctrinae studiosos; quo sane nostris laboribus nihil suavius.

FORFEX.

## ANNALES

Transvaalianum bellum - Effosorum carbonis desertiones - Quaestio de maiestate Lutetiis absorta - Africae res - Germanica navigia ab Anglis correpta - Europæorum ad Sinas commercia.

**E**VENTUS fere omnes, qui a novi anni initio publicas res commoverunt, ad Africanum bellum proprius longiusve attinent; quanvis enim proelis aut obsidionibus nihil memorabile post Ianuarias kalendas supervenerit, nocentes tamen bellici effectus per ambitum late magnum Europa et Africa expertæ sunt. Horum vero præcipiūs fossili carbonis caritas, cuius cum maximis hinc Anglia, inde Gallia, iam ab ipsa de Fashoda simultate, collegent acervos, ut navali bello munimentum sibi comparant, commercii pretium præter modum crevit.

\*

Quod ad efficiendum etiam operam reddidere postremis hisce diebus effosorum latissimæ desertiones, quibus et Austriacæ et Gallicæ carbonis

fodinae maximo cum industrium artium discrimine sunt plerumque derelictae. Nec enim quae hic et illuc proposita sunt ad operariorum petitiones cum dominorum iuribus componendas, optatam concordiam restituerunt, imo et Graiaci, Austriaca in urbe, et Sancti Stephani in Gallia frequentes per vias tumultus discrimen auxerunt, quos vix militari manu compescere datum est.

★

Lutetiae peracta tandem quaestio est de maiestatis criminis coram senatu agitata, poenamque reuelerunt Derouléde, populi orator, et Buffet, qui sunt exilio multati, atque Guérin, vinculis per decem annos addictus. Sed tamen omnibus veniam iri concessum passim dicitant. Coguntur interea circa Madagascar insulam naves, quas Galli in ultimum Orientis mare agunt, ut Africanas res propius speculentur. Expeditio autem, quam, ad oasim prope Tidikelt, Berberi adorti fuerant, pulsis hostibus, suum feliciter pergit iter.

★

Similia vero minime procul dubio duabus illis Germanicis navigiis contigerunt, quae ad Delagoa sinum ab Anglis capta sunt, quod arma et bellica tormenta Boeris tradendis secum ferrent. Inde rationes Anglorum reginae, per legatum consultum missum, a Germanis significatae; ipseque Wilhelmus imperator occasionem nactus est, qua necessitatem augendi classem confirmaret; Berolinense enim militare opificium cum inviseret, tirones est hor-tatus, ut bellicas virtutes quam maxime colerent; se nolle a via recedere, qua tantum fore ut navales Germaniae vires, exercitu validissimo satis dignae efficiantur.

★

De Sinensibus autem Germanorum rebus, deque aliis omnibus, quae in illo imperio Europae gentes attingunt, consors est inita pactio, ut Sinensium portus et commercia cuique pariter nationi libere pateant: cui foederi Americana nordica foederata res publica, Iaponia, Anglia, Russia et Italia simul cum ipsa Germania iam accesserunt, opportuno sane consilio, cum seditiosae huc illuc rebellium manus sacras Christianorum stationes depopulari exaudiantur.

POPULICOLA.

## PUBLICI PER ORBEM COETUS

## LEGIBUS FERENDIS

**I**n Austria rationes ab utroque imperii regno publico aerario solvendae, a legatis utriusque populi sunt feliciter constitutae, ita ut administris, quorum praecipuum huius componendae discordiae munus traditum fuerat, brevi iri dimissum videantur. De belli autem expensis quod iamdiu summo administris fuerat concessum, ut praeter statutas alias sustinere valeret, est a municipium legatis sancitum.

Feriis natalitiis absolutis, in Borussia Hohenlohe princeps aditalem sermonem ad publicorum oratorum coetum habens, nonnullas legum rogationes, inter quas novam de canalibus effodiendis, praeununtiavit, et Emden portum transatlanticis navibus pervium habitum iri sponspont.

In Gallia pariter sessiones instauratae sunt, quibus moderandis Deschanel iterum delectus est praeses.

In Lusitania, die huius mensis secunda, lectissimo regis sermone nova comitiorum sessio inaugurata est. Insequentia autem die, nonnullis oratoribus rogantibus administratorum praeses nullum foedus initum, ut Anglicae civitati Lusitaniae terrae ad Delagoa sinum traderentur confirmavit. Deinde regni computationes agitari coepitae sunt.

SCRIBA.

## LIBRORUM RECENSIO

P. FRANCISCUS TONGIORGI, Societatis Iesu. *Inscriptiones*, editae cura P. CAESARIS DE ANGELIS, eiusdem Societatis. - Romae, apud Scholas Pont. Seminarii Romani, MDCCCL.

Quamquam nil volupe nobis magis est, quam veterum fovere sermonem, non tamen frequens est, ut nativo suo decore renidens latinum opus nobis occurrat. Quare gratissimum accidit in manus devenisse auctorem eximium in athenaeo ad S. Apollinaris puriori latinitati tradendae pontificio mandato praepositum. Inscriptiones ad octingentas fere sunt in volumen redactae et in quatuordecim digestae titulos, cura unius ex eius sodalibus, qui earum lectione et studio mirifice delectatur.

Occurrunt primum tituli plus quam nonaginta in honorem Dei et caelitum sanctorum; hos sequuntur inscriptiones causa honoris elucubratae, quarum plurimae tum Pii IX sa. me. tum Leonis XIII laudes exornant; inscriptiones deinde historicae, elogia, tituli donariis appositi, tum redacti ad ferias aut ad publica opera celebranda; his autem postremis nonnulli pariter in privata opera exarati adiiciuntur. Ultimum locum habent epitaphia virorum, foeminarum, puellorum, puellarumque, necnon praependenda publicis funeribus vel in communibus apposita sepulcris. Haec tamen ut sunt numero maxima, ita et venustrate sententiarum et elegancia sermonis prae ceteris insigniuntur. Denique postremae inscriptiones nummariae quadraginta colliguntur. Immanis profecto moles, nemini tamen miranda, cui peritia auctoris innovuit, atque ipse recolat et cives et peregrinos cuiusque ordinis semper ad eum configuisse, ut publici privative eventus aureo calamo illustres redderet. Nec immerito: etsi enim non derideris illum in latinis scribindis titulis exstisisse principem, principibus tamen facile comparem ipsumque Morcellium aemulatum esse concedes, cui plane sententiae quisquis volumen hoc aliquantulum versaverit, ut brevi consentiat necesse est.

I. A.

AMELIA TERRABUGIO. *La giovinetta cattolica*. Consigli pratici - Mediolani edidit I. Agnelli, 1899.

Amelia Terrabugio in scripto hoc exarando id sibi proposuit, ut puerae ita instituantur, quae optimae mulieres fiant, atque discrimen cum hominibus apprise edociae, perfecte integre locum occupent, quem Deus ipsis addixit. Liber in XVIII capita distribuitur, quorum primum, quasi columen totius operis, « Labora et noli contristari » inscribitur et est de necessitate religionis: cetera ad optatum finem mulierem reducendi in domesticae vitae rationem, qua insana nunc institutio abduxit, affabre conspirant. Consilium recte susceptum, amplum item aequumque iudicium, nitor atque elegantia dicendi parentibus ante omnes opus valde commendant.

Chi è Gesù Cristo? Omaggio a Gesù Redentore del P. LUCA DI S. GIUSEPPE, sacerdote passionista - Genua, ex off. Iuventutis, 1899.

Dum per orbem universum Iesu Christo Redemptori viae, veritati ac vitae, necessario ferme impulsu acti, exente hoc saeculo, homines solemnia amoris et veneracionis signa instituunt, pergrate accipiendo est liber, pietate insignis, qui populari simul ac nervi plena dicendi ratione, vitam Christi gradatim exponat. Hoc opus optime aggressus est perfecitque P. Lucas a S. Ioseph; nos autem ut plurimis saluti fiat ex animo ominamur.

I. F.

ALAFRIDUS BARTOLI. *La lingua e la metrica di Virgilio*. - Pistorii, ex officina Iosephi Flori, 1900.

In poetarum studio plurimum habet utilitatis investigare, non solum quod suum cuique sit dicendi genus, quae verba, quae voces, a communi sermone saepe remota, sed etiam quae modorum ratio ac numerorum. Neque enim licet carminis vim ac pondus comprehendere, aut poetae animum motusque omnes probe intelligere, nisi versuum structura penitus percepita sit et cognita.

Haec spectasse videtur v. c. Alafridus Bartoli, cuius opus non indigestam doctrinam exhibet aut ad ostenta-

tionem paratam, sed brevem, perspicuam, adeoque valde frugiferam.

Liber duas habet partes, quarum altera est de lingua Maronis, proditque recentioris philologiae satis peritum hominem eundemque felicissime intuentem affinitates crebras inter Vergilianas locutiones cum aliis poetis ac solutae etiam orationis scriptoribus, sive latinis sive italicis. Quae omnia, quum grammatices notitiam usumque confirmant ac roborant, tum vitio quorundam occurunt, latine sribentium « undique collatis membris », id est dictione quadam ex poeticis ac pedestri sermone conflata. Altera pars, de Vergiliiano numero, etsi forte brevior viseris possit, quam res postulet, usu tamen facile praestat maioribus libris ex eo genere. Rerum enim opportuno delectu et lucido ordine, quae praecipua docentium virtus est, maxime commendatur.

Similes huius libri dum ostendunt non ita latinitatis excidisse fortunam, ut doletur a multis, optimum iuvanti sternunt iter ad latium sermonem addiscendum, non iejune, non temere, non aurium incerto iudicio, sed ratione et via, ab aetatis nostrae viris explorata ac tradita.

P. A.

## AENIGMATA

I.  
Sum prior Arcadius; meus est venator amicus;  
Armentique fui custos, terrorque viarum.  
Fons Arabus sequitur. Pulcherrima praedita summis  
Iam mulier vivam, prior undis Deucalionis.

II.

(Permutatio vocalium)

A servatque paratque cibos, confortat edenda.  
O fugat in terra noctem luce atque calore.

A. E. DE DRUFFEL.

Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

## NOVUM IESU CHRISTI TESTAMENTUM

## VULGATAE EDITIONIS

Xysti V Pont. Max. iussu recognitum et Clementis VIII auctoritate editum.

Aenigmata ann. II, n. XXII proposita his respondent:

I. Parva domus magna quies.

2. Is-is.

Ea rite soluta miserunt:

Ed. Bianco; M. Mori; Ag. de Aguiar; P. Anacletus C. P., Roma - Guil. Schenz, *Ratisbona, in Bavaria* - Ioan. Sedlák, *Praga, in Bohemia* - Andr. Piotto, *Malo*; Ios. C. povin, *Montelongo ad Vicentiam* - F. Crouzillac, *Epernay*; A. Sordet, *Tbury*; Aug. Narquet, *Montelongo*; A. Chévénement, *Nods, in Gallia* - P. Garrone, *Pezzana ad Vercellas* - C. Morawski, *Cracovia* - H. A. Strong, *Lyrplia* - Io. Gust. Grünes, *Nikolsburg, in Moravia* - Alfr. Bartoli, *Grosseto* - Ioan. Sobczynski, *Włocławek*, *in Polonia* - Val. Baldissera, *Glemona* - A. E. de Druffel, *Welbergen*, *in Guestphalia* - Ricc. Magenta, *Genua* - Ant. Galiero, *Aversa* - A. Robert, *Marieville*; Aug. Roberge, *Chicouti*; P. Rioux, *Hochelaga, in Canada* - H. Heussler, *Basilica* - M. Kheberich, *Seepusio, in Hungaria* - Alex. P. Gest, *Lambertville* - Io. Bapt. Etschenberg, *Albano* - Ios. Crosatti, *Poiana Vallispanetae, in agro Veronensi* - Ioan. Mediolanensis - Const. Cicchelli, *Monte Cassino* - E. Frachetti, *Mengalore, in Indis* - Alois. Cappelli, *Senigallia* - C. Meucci, *Napoli* - D. Macrae, *Lairg, in Caledonia*. Sortitus est praemium:

Io. Bapt. ETSCHENBERG

ad quem missum est opus, cui titulus:

## D'IRLANDE EN AUSTRALIE

## SOUVENIRS ET IMPRESSIONS DE VOYAGE

par A. LEMIRE.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii.

- m, adeoque valde
- era est de lingua  
iae satis peritum  
entem affinitates  
m alis poetis ac  
e latinis sive ita-  
otitiam usumque  
ndam occurunt,  
embris », id est  
sermone conflata.  
forte brevior vi-  
en facile praestat  
enim opportunio  
docentium virtus
- on ita latinitatis  
optimum iuven-  
dissendum, non  
iudicio, sed ra-  
lorata ac tradita.
- P. A.
- Subnotations atque praepositi praemii indicatio recto tramite mittantur ad **Vox Urbis** commentarii administratorem, **Roma, via Alessandrina, 87.**
- 
- PER ORBEM**
- Nescio equidem, lectores, num annus hic, quem multi vigesimi saeculi caput esse volunt, peioribus auspiciis enasci potuisse. Video sane vestrum plures hoc nuncio contristari vehe-  
menter, quod odysseam hanc meam nonnisi in-  
fortuniis repletam iam iam novo exordiente anno  
sim vobis enarraturus. Verum sileam omnino, an  
referam quae tempora proferunt? Hoc mea mu-  
neris vice aggredi sum coactus; id igitur tantum  
mihi licet, Wilhelmo Germanico Caesaris haud  
consentire, neque caput saeculi tam tetricum  
omnibus sumere, libentius cum illis secedens,  
qui proximi anni initio illud ponunt et prudenter  
exspectant misera haec auguria in melius aliquan-  
tulum pro ea die fore immutata.
- ¶**
- Vix enim calatum posueram descriptis mi-  
seris sat contristatum, cum ecce prope Rhey-  
gium portum miserae Turcarum navis reliquiae  
undis supernatantes, quae inibi scopulis disiectae  
fuerant.
- Interea in Ponto Euxino **nivales procellae**  
undique furebant; nives obruebant omnia, Uralsk  
urbs eiusque suburbia pervastata rabie tempe-  
statis videbantur, et domus plurimis in locis dis-  
iectae in ruinam: quae tamen omnia ridicula  
quasi habenda erant, si cum hieme, quae in ci-  
vitate S. Petri, capite imperii, rigebant, fuissent  
comparatae.
- ¶**
- Nec satis: nam et **terraemotu** contremere  
solum huc et illuc exaudiebatur, et praecipue in  
Tiflis provincia, in qua quidem ad decem usque  
oppida conquassata sunt, et pagani multi ruinis  
necati. Nec meliora contigerunt Helvetiae hospitio  
Interlaken: undecim enim operarii qui ad Jungfrau  
alpem ferreo itinere sternendo adlaborabant, nivis  
cumulo correpti, praecipites obierunt.
- Ψ**
- Proficiscamur in Germaniam. At, si ferreis  
vehibus utendum sit, videte ne forte nos maneat  
fortuna, quam vaporitraha prope Buschweider  
experta est, cum in obvenientem machinam con-  
currit, eo impetu, ut currus ignito potu refertus  
flamnis excitatis consumptus fuerit. Similia vero  
Scotis tironibus acciderunt, ad Transvaalianum  
bellum proficiscentibus, quos inter nonnullos va-  
poritrahae occurrus ante conficit, quam forte  
Boerorum ballistae interficerent.
- Ψ**
- Si autem **aequa via** in Americam spe-  
ctemus, ab undis nefario furore exagitatis luctus  
pariter inveniemus. Merrimac, americanum na-  
vigium, sui gemini nomine celeberrimum, è  
Quebec portu profectum, quo tandem post duos  
menses pervenerit omnes latet, ita ut plerique  
reputent in scopulos suis confactum, vel undis  
aliunde demersum. Aristo, aliud navigium Ame-  
ricanorum, prope O'Cracok in Carolinis insulis  
fundo haesit, nautas plus quam viginti amisi. In  
litore vero, **atra pestis** iues quotidie renas-  
scens, et oppida Brasiliæ depopulans, viatores  
exspectat.
- Ψ**
- Quo igitur iter vertendum, quo minus tristia  
inveniantur? Fateor candide me nescire; itaque  
vos, lectores, rogo ut, si beata haec regna per  
orbem cuique vestrum explorata sint, benigni me  
quamprimum certiores faciatis.
- VIATOR.**
- VARIA**
- Unde comperiatur in anseribus aetas.
- Auctore ephemeride agraria regionis Braunsh-  
teig, noscimus anseres habere pone maximam  
caudae pennam duas iterum sed exiguae, acutas,
- XXIV.** Valerii Maximi Factorum et dictorum memorabilium  
libri IX, cum Iulii Paridis et Ianuarii Nepotiani epi-  
tomis. Rec. C. KEMPF.
- XXV.** Varronis M. Terenti Rerum rusticarum libri III. Rec.  
H. KEIL.
- XXVI.** Christus patiens. Tragoedia christiana ex rec. I. G.  
BRAMBS.
- XXVII.** Vitae Sanctorum novem metricae ex codicibus Mona-  
censibus, Parisiensibus, Bruxellensi, Hagensi saec. IX-XII.  
Ed. GUIL. HARSTER.
- XXVIII.** Epistolae selectae virorum clarorum saec. XVI-XVII.  
Ed. E. WEBER.
- XXIX.** Manutii Pauli Epistulae selectae. Ed. M. FICKELSCHERER.  
Mureti M. A. Scripta selecta. Ed. I. FREY. (Voll. 2).
- (Quae opera omnia prodierunt Lipsiae ex officina Teubne-  
riana).

fortius haerentes, duriores et solidiores reliquis.  
Transversus hisce, si anser annicula sit, reperitur  
sulcus quasi trianguli lima factus. Si alter arnus  
accesserit, duo erunt sulci. Brevis tot huiusmodi  
sulci quot anni.

Qui epulones teneris anseribus inhant, ne ni-  
mium tenero respondet dura palato caro, habent quo  
fraudes caveant.

\*  
**Ioci ex historiis.**

Juvenis quidam cum cardinali de Berulle,  
viatum pariter ac doctrinæ laude celeberrimo  
viro, disputationem habens utrum daemones es-  
sent nec ne, pertinaciter eos esse negabat, quod  
numquam vidisset. Cui callide doctissimus ad-  
versarius respondit: « Quid igitur? cave, si vera  
haec sint, quae sequantur; credam enim te nec  
mentem habere neque sapientiam, cum nihil  
huiusmodi, quod dixisti, præ te ferri videam ».

P. d. V.




**EPISTOLARUM COMMERCIO**

Scriptores omnes qui libros ad nos mittunt,  
monitos volumus nos tantum illos recensere,  
quorum duplex exemplar pervenerit, ac li-  
beram apud nos esse de operibus sentiantur.  
Caveant igitur ne urgeant, neve aliorum iu-  
dicium alligent, quod profecto in cistellam  
deicitur.

Socii qui aenigmata solvunt maturato opus est,  
ut solutiones mittant: saepe enim accidit, ut  
hae pervenerint cum praemium sorti com-  
missum iam fuisset, pluries cum commenta-  
rius sub proelio esset, interdum etiam cum  
editus. Dolent autem cum nomen frustra inter-  
solutores requisiverint! Cuiusnam culpa?...

A SECRETIS.



# T. G. FRATRUM PARISI Candelarum ad Sacra Opificium praemiis insigne

AB ANNO 1829 CONSTITUTUM



\* ROMAE in ITALIA \*



In Foro Campi Martii, 6



Singulis in artium recognitionibus publice habitis  
maxima relata munera

Leo PP. XIII honores addidit

Lateranensi Archibasilicae, itemque Vaticanae, quoties de Beatificatione aut de Canonizatione  
solemne sit, suppeditat.



Praecipua Templa cereis instruit ubique ter-  
rarum. In Asiam, Africam et urbem Constantino-  
polim mittit ingentia rerum huiusmodi pondera,  
pretio *francs* 180 pro singulis 100 Chilogramm.

Si vero ab America aut ab Australia petantur  
onera (300 Chilogramm. *ad minimum*), pretium erit  
*francs* 250 pro 100 Chilogramm.

Nullo impedio iubentium res in proximiorem a patentibus designatum portum defertur.

Gratuito pariter, quae mittuntur, arca asservantur.

Cuivis querenti explicatio erit uberior.

FIGURAE URBIS ROMAE  
ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE  
COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO  
Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 × 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur,  
venit singillatim L. 2.50

apud comm. VOX URBIS Administratorem.

SI QVIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA  
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

Nuperrime prodierunt  
CONSTITUTIONES LEONIS XIII  
SUPER  
IUBILAEO UNIVERSALI ANNI MDCCCC

COLLECTA EDIDIT, QUIBUSDAM ADNOTATIONIBUS ADDITIS  
IN COMMODUM PRAESERTIM CONFESSARIORUM

THOMAS ARIZZOLI

Missionarius Apostolicus Imperiali, S. Poenitentiariae officialis.

Ven. lib. 1

apud Commentarii VOX URBIS administratorem.

## VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS  
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

F. BULIÉ. Stridone, patria di S. Girolamo. - Spalati, ed. Narodna Tiskara, 1899.

LIONEL HORTON-SMITH. Mors Sauli in Monte Gilboa interficti. A poem in Latin Alcaics. - Londini, ed. Privately Printed, 1899.

Guida del Pellegrino a Roma, riveduta e corretta dal rev. P. BONAVENIA d. C. d. G. - Romae, apud Desclée, Lefebvre et Soc., 1900.

Prof. ANTONIO GALIERO. Sinonimi Latini ad uso delle Scuole Ginnasiali e Liceali. - Aversae, ed. Pamphilus Castaldi, 1899.

Chi è Gesù Cristo? Omaggio a Gesù Redentore nel xx secolo della sua Incarnazione, del P. LUCA DI S. GIUSEPPE, Sacerdote Passionista. - Genua, ex off. Iuventutis, 1899.

Prof. GIACOMO TROPEA. La stela arcaica del Foro Romano. Cronaca della scoperta e della discussione. - Messanae, apud Commentarium Historiae Antiquae, 1899.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS ANN. MCM (Vid. in secunda operuli pagina).